

2541

CASUISTICI.

2542

ritum sanctum. Credo. &c. Sequuntur *Orationes* variae et *Examina* cum Clericorum, tum Laicorum, quorum pleraque partim in Poenitentiali *Halitgarii Camerac.* partim in aliis a *Joh. Morino* ad calcem Operis de *Poenitentia* relatis sparsim leguntur.

III. fol. 114. p. 2. alia, sed aequae vetusta manu sequitur *Formula Confessionis*, quae infit: *Confiteor domine pater celi et terre coram hoc sancto altario tuo et istius loci reliquiis et coram hoc sacerdote tuo &c.* Additur *Responsum Sacerdotis* hoc initio: *Fili mi. Testis tibi sit christus filius dei uiui &c.* atque in hoc *Responsio* Codex abruptitur.

Ambit illum utrinque Membrana Fragmentum de *Musica* Sec. XII. exaratum complectens, quod quidem in nullo veterum Latinorum, quos bono numero inspexi, deprehendere datum est. Itaque Specimen quoddam inde transferam. *Sistema quid est? In colis uel commatibus diastemata dicimus. Sistemata in particulis perfectioribus. seu toto peryodo. Nam diastema est spatium quotlibet sonorum quo particula complectitur. id est quo acuta et grauior uox includitur.* (Ita quoque definit *Mart. Capella de Nupt. Philolog. L. 9. edit. Plantin. Rapheleng. 1599. p. 321. 8.*) *Sistema totius spatium meli. Item sistemata sunt species tetrachordorum. pentachordorum. ochtichordorum. que modis singulis suas dant species. &c.* *Scriptorum de Musica* Latinorum medii aevi

Elenchum habes in *Fabricii Bibl. L. II. ad v. Berno.*

DCLXX.

Codex membraneus lat. Sec. 576 XII. Folior. nunc 61. 4. non una manu, commode tamen perscriptus et rubricis distinctus continet: I. Breues Institutiones Vitae Pastoralis pro rudioribus Sacerdotibus, quarum initium: *Uenerabilibus sacerdotibus. N. et N. Ricardus eorum deuotissimus. Viam nostram sepi (sepiri?) lapidibus, transitum sub pallio breui et angusto, et expectationem secunde stole cum gaudio. Recolo uos a me postulasse quod breuem uobis doctrinam darem suscepto officio sacerdotali maxime erga subditos in penitentiis iniungendis &c.* Ordo in tractatione promittitur sequens: *Primo scilicet qualiter homo nascitur. Secundo qualiter peccat. Tertio que sint genera peccatorum mortalium in que cadit. Quarto qualiter ab his resurgat. Quinto qualiter sit iniungenda penitentia. Sexto qui sunt articuli fidei quos quilibet credere tenetur. Septimo quibus operibus insistendum. Octauo cum qua cautela sacerdotes populum sibi commissum regere debeant. Nono in quo statu sint animae defunctorum usque ad diem iudicij. X. de generali resurrectione. Opportuna sunt omnia, quae per decursum traduntur; illud tamen singulare, quod legitur fol. 4. p. 1. *Sciunt itaque domini sacerdotes quod ipsi peccata non dimittunt, sed ostendunt**

2543

C O D I C E S

2544

dunt esse dimissa. De Autore *Richardo* quod dicam, non habeo, nisi quod *Anglum* putem; video enim apud *Fabricium*, *Tannerum*que hujus nominis quendam *Canonicum Reg. Londinensem* *Traëctum de Poenitentia*, alium *Doverensem* *Traëctum ad Sacerdotes*, tertium dictum *Magnum* seu *Wethershed* opus *Poenitentiale* seu *Summam Sacerdotalem* reliquisse. Certiora e *Codicum plurium* collatione pendent. Aevum tamen partim ex iterata *Corporis Decretorum* citatione, partim inde elicio, quod *fol. 9. p. 2.* narratur: *Terra ierosolimitana modo merito peccatorum nostrorum a salatino vastari.* Unde *Richardus* vix ante penultimam *Sec. XII. Decadem* scripsit. Finit ille: *Ecce de statibus hominum et de doctrina sacerdotum breuiter dicta sufficiant &c.*

II. *fol. 13.* Sine nomine Autoris *Κατηχησις* *Liturgica* de omnibus *divinis Officiis* et *Ritibus* in *Ecclesia*, *Choroque* per anni decursum observari solitis, incipiens a *Septuagesima* hoc modo: *Quare LXX. celebratur? Ideo ut quemadmodum populus dei qui pro suis peccatis in babylonia que interpre-*

tatur confusio detentus est captivus sub numero septuagenario. quo numero completo reuersus est in ierusalem. que interpretatur visio pacis. ita et nos &c. Ultima *Quaestio: Quare lectio cessat in completorio?* Autorem nostrum sua ab *Amalario Fort.* mutuatum esse conferenti patet.

III. *Fol. 31.* *Poema* de *Virtutibus Herbarum ἀκεφαλον*, uno, ut videtur, multatum folio. *Lucem* primum vidit *Neapoli 1477. 4.* sub *Aem. Macri* nomine, non sane *Macri* illius *Ouidio σνγχεως*, cujus *Scripta*, ut notum, diu interciderit, sed *Barbari* cujusdam *Walafrido Strabo*, qui a. 849. obiit, posterioris; in *Articulo* enim de *Lubistico* sive *Ligustico* nominatim *Strabi* in *Hortulo* de hac *Planta* dicta rejicit. *Adi magni Halleri* nostri *Bibliothecam Botanicam T. I. L. 3. p. 215.* ubi plura de *Nostro*, ejusque *Editionibus.* *Veneta per Bernardin. de Vitalibus 1508. 4.* quae mihi objacet, pro *Macri* nomine *Marci Aemilii* nomen manu adjectum habet. *Alii* ad *Odonem* quendam referunt. *Nobis* incipit *Poema* ab his verbis:

*Adde meri tantum quo possint cuncta recundi (recondi)
Tota nocte mero facies maceretur in illo &c.*

qui ad *Articulum* de *Asaro* pertinent. Sequitur de *Abrotano*, *Allo*, *Absinthio*, *Aloe*, *Apió*, *Atriplice* &c. ubi in *Edit. cit. Artemisiam Abrotanum*, *Absinthium*, *Urtica*, *Allium*, *Ruta* &c. excipit.

Itaque *Exemplaria* non conveniunt; putem tamen *Autorem* primitus *Alphabeti* ordine processisse. *Codex* noster in *Sinapi* abrumpitur hoc versu:

Mansum confirmant adipi tundendo uetusto.

Le-

2545

CASUISTICI

2546

Lectiois varietatem non deesse, facile arbitrare.

DCLXXI.

311 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Foliorum 196. f. per duas columnas sat bene exaratus, rubricis distinctus, et praevia in membrana Pictura Autorem ad populum verba facientem exhibente ornatus ita minio inscribitur: *In namen gotes amen Incipit prologus der sum Jobannis des decretz amen.* Autor hujus Operis latine inscripti *Summa Confessorum* est *Jobannes de Friburgo* O. P. Lectoris officio diu in Conventu patriae urbis functus, unde, ut in *Scriptt. O. P. T. I. p. 523.* dicitur, Lectoris agnomen *affectavit*, si quis tamen muneris sui nomen *affectare* possit. Obiit Vir hic praesenti Opere de aevo suo rudi bene meritus a. 1314. Opus ipsum plurimis exemplis per bibliothecas diffusum, et fortasse vivo etiamnum Autore in linguam Teutonicam *συνομιως* traductum est a *Bertholdo* ejusd. Ord. Lectore *Norimbergensi*; non enim est, cur *Bertholdum Teutonem* in *Scriptt. O. P. T. I. p. 431.* a *Bertholdo Teutone* T. I. p. 722. distinguamus, cujus notitiam e *Lambecii L. II. p. 814.* atque adeo e *Cod. praesenti* hausere *Quetifus* et *Echardus*. Atque, ut emendemus et suppleamus ea, quae Viri hi solertes, sed a sodalibus suis *Germanis* parum adjuti in desideratis reliquere, notet Lector, *Summam*, quam illi ab

aliis decepti, ut primam *Summae Jobannis* editionem, *Reutlingae per Job. Otmar 1487.* f. adferunt, non esse *Summam Jobannis* sed *Summam* dictam *Rudium*, in cujus Prologo legitur: *Est etiam quidam liber qui vocatur summa Jobannis Friburgenss. maior Uel summa confessorum compilata per Reuerendum lectorem conuentus Friburgenss. in brigaudio ordinis supradicti tante auctoritatis quod dominus papa Johannes XXIX. (i. XXII.) qui fuit subtilis indagator iuris cum memoratam summam perlegeret dixit fratrem qui istam summam collegit reputo unam esse de melioribus personis totius ecclesie.* Subdit autor Prologi: *a qua etiam multa recepi.* Deinde, latuisse Bibliographos illos omnino seriem genuinarum *Summae* nostrae editionum, quam hic e penu mea depromo: Anno 1472. *Augustae per Job. Bäm-ler.* germ. f. 1476. *ibid.* typo *Günth. Zainer.* lat. f. 1478. *ibid.* per *Job. Bäm-ler.* germ. f. 1480. *ibid.* per *Ant. Sorg.* germ. f. 1482. *ibid.* per *Eund.* germ. f. 1489. *ibid.* per *Job. Schönsperger.* germ. f. 1491. *Magdeburgi* dialecto Germ. inferior. f. 1495. *Augustae per Job. Schönsperger.* germ. f. 1498. *Norimbergae* per *Ant. Koburger.* lat. f. Et eod. anno *Magdeburgi* per *Maurit. Brandis* dialecto Germ. infer. f. Addo optimum *Maittairium* linguae germanicae ignarum primam harum Editionum *Jobanni Nach* inscripisse, quod in Titulo Indicis praemissi lege.